

gendas mihi transmisit, imputanda; nec mihi magno vitio vertenda sunt. Nam non solum ipse, quantum fieri potest in rebus, quas tantum non ad verbum memoria tenemus, oculorum aciem intendi; sed felici etiam opera usus sum Ernesti Augusti Danckegott Hoppii LL. AA. Magistri, viri acuti et elegante ac copiosa doctrina instructi; cui iam, quas debeo gratias publice agere studui. Fieri tamen non potuit, ut omnia sphalmata euitarentur, maxime, quod nouissimas plagulas ad correctas illas non possem denuo examinare. Sed pauca sunt, et ea leuia.

At dicendi finis est faciendus, ne quis Lucianus praefationem dicat ipso libello paullo esse maiorem. Itaque, Benevole Lector, de me ita habeto: Non id egi, quum hunc laborem susceperem, ut laudem mihi pararem, sed quantum facultas et tempus tulit, utilitatem afferre volui; iam vero, absoluta hac opella, quum ipsi mihi, ut fit, parum ea placeat, modestiora fere vota facio, ut nimirum a dedecore meo, et priuato aliorum damno ea sit seiuncta. Ita vale, meisque conatibus vtere feliciter. Scripsi Vitebergae. a. d. XI. Februarii cicicccxcvii.